



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hierakosophion**

**Demetrius <Pepagomenus>**

**Lvtetiae, 1612**

xj. Quomodo post venationem accipitres recipiendi, nutriendi, & in quas caueas includendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

*Contra ciulatum.*

**E**IVLANTEM, & sibilis strepentem, antequam sedem capiat, trito allio, quod sumptum sit ex fulco, allines, dicens illius ciulatui, Te allino. aut sumes vespertilio nem, eamque prius depastam, pediculariæ herbæ tria grana edenda accipitri præbeto. post illam alligato ad perticam. si celeriter non concoquit, ciulabit quidem duos dies, sed amplius non ciulabit.

*Ad accipitrem incitandum ad aucupium, qui aucupandi studio non tenetur.*

**G**ALLINAM vernaculam occidito: sanguinem quovis folio exceptum & conglaciatum dato accipitri edendum, cum es exiturus ad venandum, & ita cupidus & promptus fiet ad venandum.

*Quomodo post venationem accipitres recipiendi, nutriendi, & in quas caueas includendi.*

**P**OST QVAM aues, quæ peregrinationibus vtuntur, non apparent, vt anseres, vt anates, vt grues, vt aliæ; tum venator gestans accipitrem quotidie exeat ad aucupium coruorum, cornicum, aliarumque

C ij



auium peregrinationem ignorātum. Hoc  
aucupio obiter vtitor, à Calendis Maij,  
vsque dum accipiter claudendus sit, tum  
includito in caueam amplam, quæ ad solis  
ortum habeat fenestellam, neque vitro sed  
virgis circumsepiatur, vt & luminis ha-  
beat, quod satis sit, & tuto accipitrem cu-  
stodiat. nam vitrum cito rumpit circum-  
uolitans, ludens, impetum faciens, tan-  
quam homo nocens in carcerem conditus  
ex vinculis erumpit: sic accipiter euadit,  
aut vitri fragmento quasi gladio læsus cor-  
rumpitur. In media cauea sit lignum tran-  
uersum, vbi sedeat accipiter; neque vn-  
quam in ligneo vase desit aqua quotidie  
mutata: neque vas sit profundum, neque  
omnino patulum: sed latum, & medio-  
criter concavum, ne accipitris lauantis  
pectus lædat, néve distorqueat pinnas na-  
tas. quales enim diriguntur, tales perpe-  
tuo manent. Carnem calidam, aut pridie  
occisam in cauea edat. interdum caro suilla  
præbeat. dentur etiam interdum colum-  
bæ, aut mures, aut catuli, quos aliqui ex-  
ponere solent, pellemque serpentis minu-  
tatim concisam carnibus immistam: ea  
enim ad mutadas pinnas maxime prodest,

vel testudinem ex siccis locis captam testa  
nudam  $\star$  supinam accipitri præbeto. huius  
carnis succus mirifice facit ad celerem mu-  
tationem pinnarum totius corporis. non,  
vt quidem imperite faciunt, pinnarum  
vulsura affligendus, sed potius natura-  
liter curandus molli & delicata ratione,  
quæ sine dolore pennas mutet: solas  
caudæ, quæ effractæ sunt, sensim velli-  
to; & eas quidem necessitate adductus,  
& vide necum cruore vellas! nam si cruentæ  
euellantur, postea distortæ & cruentæ  
renascuntur. Illum semper miti ratione  
habeto, ne multo labore post exitum ex  
cauea egeat ad cicurationē. Vno aut altero  
die de manu tua cibum capiat; aliis diebus  
in pertica carnem ligato, vt illinc cibum  
capiat, non ex terra, ne sordibus lœdatur.  
ita habitus, permanebit mansuetus. Post  
exitum ex cauea, eget multo labore, vt di-  
rigatur: nam in cauea receptus eo modo,  
quo à principio captus, erudiendus est &  
mansudefaciendus. amissis pinnis cauda ma-  
gna renascitur, primo anno tenuior, secun-  
do, aliis deinceps annis eandem caudæ re-  
tinetur fortiam non auctam, neque dími-  
nutam.

C iij